

observandum est statutum generale c. 7, § 1, n. 4. « Confiteri extra ordinem præterquam in necessitatis articulo, et tunc de licentia superioris per Apostolicas constitutiones Fratribus expresse prohibetur: ubi per necessitatis articulum non tantum articulus mortis, sed etiam quodvis probabile periculum illius intelligitur, quale esse censetur, irruente hoste, prædone, instante periculosa navigatione, transitu per loca insidiis et latronibus obnoxia. » Sanctus de Melfi in c. *Statutum*. c. 7, q. 6. Item necessitas celebrandi Missam, quam quis sine scandalo aut nota infamiae omittere non potest, Melfi l. c. Kerchove in *Statuta generalia*, cap. vi, § 22, n. 113. Portel §. *Confessarius erga religiosos*, recte dicens, in tali casu regularem non tantum posse, sed et debere confiteri alicui confessario extra ordinem; sive regulari, sive sæculari, si aliquem ex ordine suo habere nequit; cum urgeat præceptum divinum et ecclesiasticum, et prælati regulares videantur esse consentientes: siquidem per licentiam superioris in statuto requisitam intelligitur generalis, et præsumpta. Melfi loc. cit. Roderiq. t. 1, quærund. regul. q. 62, art. 5. Quinimmo in licentia itinerandi implicite continetur licentia confitendi in casibus alias a jure permissis juxta Mirandam tom. II. q. 36, art. 6.

Infertur, quod collectores, et alii itinerantes copiam confessarii ex ordine non habentes non tantum possint, sed etiam habeant confiteri confessario alteri regulari, vel sæculari, casu quo in peccato mortali constituti Missam sine scandalo omittere non possunt: ita tamen, ut postea de reservatis denuo se accusent coram confessario ordinis potestatem habente.

264. *Præter casus reservatos a Clemente VIII, positos possunt regulares in capitulo generali, vel provinciali adhuc alios reservare.* — Quinto notandum, vi sæpe dictorum privilegiorum regulares etiam ex suis non posse aliquem absolvere a reservatis in suo ordine. Quinam autem sint casus reservati pro ordinibus constat ex Bulla Clementis VIII, qui, ne prælati regulares per indiscretum zelum nimium reservando casus gravent subditos, undecim passim in libris contentos specificavit, quos reservare prælati regulares possunt addita clausula, ut si aliquos casus pro bono religionis aut provincie reservare velint, id quidem facere possint, sed non nisi in capitulo generali pro toto ordine, vel pro-

vinciali pro provincia, ibi: « Cum matura discussione et totius consensu capituli generalis pro toto ordine, et capituli provincialis pro tota provincia. » Plura de absolutione a casibus reservatis vide apud theologos, et etiam Kerchove in *Statuta generalia* cap. vi, § 22. Melfi in eadem *Statuta* c. 7.

265. *Qualis obligatio confitendi casus reservatos, vel licentia in confessione committenda sit, casu quo in absentia habentis potestatem absolvendi quis alteri confitetur.* — Porro circa casus reservatos etiam notandum, quod licet aliqui cum Diana p. 1, 3, 4. Ref. 104. Soto, Corduba, et aliis, satis probabiliter et tute doceant, eum, qui hic et nunc non habet copiam potentis absolvere a reservatis, et nihilominus conformiter dictis superius ex causa urgenti confiteri debet, non teneri alteri potestatem in reservata non habenti confiteri aliquod peccatum reservatum, sed satisfacere si alia non reservata confitetur, cum proposito reservata, quamprimum fieri potest, confitendi habenti potestatem absolvendi ab illis; cum nemo teneatur idem peccatum bis confiteri; tamen longe tutior, et in praxi merito tenenda sit sententia dicens etiam in tali casu esse obligationem, reservata quoque confitendi, quatenus integritati concessionis satisfiat, et confitens interea indirecte a reservatis absolvatur, prout videre est apud Layman, Sporer, *Theol. Sacrament.* p. 3, c. 6, sect. 2, n. 757.

Uterius notandum, in casu, quo penitens bona fide accedit confessioni, ignorans se habere peccatum reservatum, vel putans confessario competere facultatem absolvendi et confitetur reservatum, fere plerumque non teneri simplicem confessarium, ita confitentem absque absolutione dimittere, et ad habentem potestatem oblegare, sed posse talem, dum aliud præter reservata habet peccatum, ab hoc directe, et ab illis indirecte absolvere, atque ad celebrandum vel communicandum admittere, cum obligatione denuo confitendi reservata habenti potestatem directe absolvendi ab eis. *Clyp. Clement. Judic.* p. 2, dec. 2. Sporer, loc. cit. n. 767. Ratio est; quia videtur adesse aliquis saltem necessitas, videlicet, quia valde durum esset penitenti, ceteroquin rite disposito, sine absolutione discedere, præsertim si præter reservatum habeat etiam alia gravia peccata, simplici confessario bona fide exposita, quæ denuo alii confiteri, valde difficile foret.

266. *Absolutio a censuris dari potest varie, v. g. absolute, conditionate, ad cautelam, cum reincidentia.* — Quæritur V. Quotupliciter? et quomodo fieri possit, et debeat absolutio a censuris? Item quid circa eam dandam observare debeant absolventes præsertim regulares? Resp. I. Absolutio a censuris varie fieri potest, et solet: patet inductione. Nam. I. Fieri potest absolute. II. Ad cautelam prout ad cavendam nullitatem rescripti apostolici, electionis, beneficii dari solet. III. Sub conditione, v. g. Absolvo te, si hoc aut illud feceris. IV. Cum reincidentia, ita videlicet, ut si absolutus intra certum tempus, hoc aut illud non fecerit; vel si cessante periculo mortis, vel alio impedimento se non sistat, a quo alias de jure absolvi deberet, in similem censuram, excommunicationem v. g. iterum reincidat. V. Ad certum duntaxat effectum, v. g. ut censuratus testimonium ferre, vel alium actum censurato alias prohibitum exercere valeat; quo tamen casu censuratus non ab ipsa excommunicatione, sed ab aliquo ipsius effectu duntaxat liberari censetur. Pirhing, h. t. a n. 165. Layman, loc. cit.

267. *Absolutio a censuris dari potest in et extra confessionem, etiam absenti, et invito, et quomodo?* — Resp. II. Absolutio a censura non tantum intra, sed etiam extra confessionem sacramentalem etiam absenti et invito dari potest; nec requiritur ad eam certa verborum forma, sed sufficit quælibet voluntatem absolvendi sufficienter explicans: solet tamen pro absolute danda absolutione ab excommunicatione observari sequens formula: « Absolvo te a vinculo excommunicationis quam incurristi propter N. (exprimatur excommunicationis causa) et restituo te S. Sacramentis et communioni fidelium in Nomine Patris, etc. » In Absolutione a suspensione vero: « Absolvo te a vinculo suspensionis, quam incurristi propter N. et restituo te executioni ordinum: » Si censura est dubia, servari solet hæc formula: « Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, absolvo te, etc., in quantum possum, et tu indiges, in nomine Patris, etc. »

268. *Si publice datur.* — Si absolutio datur publice et solemniter, præmitti solet aliquis psalmus penitentialis, et adhiberi certus ritus, c. *A nobis* 28, h. t. et in Pontificali, vel etiam in Rituali diocesano præscriptus.

269. *In nullo foro absolvi potest censuratus; nisi prius satisfecerit parti læsæ: et quomodo?* — Resp. III. Nullus neque in foro interno, neque externo absolvi potest ab excommunicatione vel alia censura, nisi censuratus prius satisfecerit parti læsæ, ob damnum, vel injuriam, ratione cujus fuit excommunicatus, c. *Solet* 2, h. t. in 6, vel cum ea transactum, vel si hoc statim fieri nequit, sufficiens cautio per pignora, vel fidejussionem præstetur, vel si nec ista ob inopiam vel aliam causam fieri potest, per juramentum, Laym. lib. I, tr. 5, p. 2, c. 2, n. 8. Abbas in c. *qua fronte* 25, de *Appellat.* Sylvester §. *Absolutio* 3, n. 3, arg. Authent. *Generaliter* C. de *Episcop. et Cleric.*

270. *Doctrina practica ad propositum.* — Et quamvis Laym. loc. cit. recte notet; pro foro interno, spectata qualitate personæ sufficere etiam nudam promissionem, vel fidei interpositionem censurati, si censura est occulta: tamen etiam l. c. p. 1, c. 7, n. 7, idem recte monet, regulares privilegatos cavere debere, ne etiam pro solo foro interno absolvant aliquem vi juris communis, aut sententiæ generalis notorie censuratum, v. g. excommunicatum, vel cujus excommunicatio jam fuit deducta ad forum contentiosum, priusquam parti læsæ actu satisfecerit; quia alias, si talis reus saltem pro foro interno absolutus jam existit, ab Ecclesia tam facile adigi non valet ad satisfaciendum parti læsæ, quod bene observare habent confessarii regulares: quamvis et in hujusmodi notorie excommunicatis circumstantiæ suadere possint, ut ad solam præviam cautionem, vel promissionem absolutio pro foro interno prudenter dari queat. (ADNOTATIO LIII.)

TITULUS XL.

De verborum significatione.

1. *Ratio ordinis.* — Constat sæpe dubitari de sensu, et significatione verborum juris, hinc sicut in jure civili, ita et in canonico interpositus fuit Titulus de verborum significatione. Quoniam vero de hac multa jam diximus supra l. 1, tit. 2, de *const.* § 15, 16 et 17, de interpretatione legum, et regulis in ea observandis, pauca hic afferemus po-

nendo aliquas regulas ad intelligendam verborum significationem.

2. *Inter regulas de intelligenda verborum significatione sunt etiam sequentes. I. Verba intelligenda sunt cum effectu, ut aliquid operentur.* — Regula I. Verba intelligenda sunt cum effectu, ita ut aliquid operentur, et non sint superflua l. 1, § *Hæc autem verba ff. quod quisque juris* et l. 3, *quod quisque juris*, juncto c. *relatum de cleric. non resident. can. Hæc autem verba* 17, disp. 1, *de penit. ne minimum verbum, quid et ne syllaba superflua sit l. quoties* 12, ff. *de reb. dub.* Censentur autem aliquid operari, quando etiam solius majoris declarationis, cautelæ, et omnis dubitationis tollendæ, vel efficacioris voluntatis demonstrandæ gratia ponuntur, ut expriment id, quod tacite jam inest, vel in genere continetur. Abbas in c. *Si adversus* 11, *de Hæretic. arg. l. quæsitum* 12, § 4, ff. *de Fundo instr.* et cit. c. *si adversus de Hæretic.*

3. *II. Verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam.* — Regula II. Verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam, et naturam actus, vel contractus, de quo agitur, et secundum qualitates personæ, ad quam sunt relata, c. *quemadmodum* 25, *de Jurejur. c. Constitutum* 6, §. *cum autem de religios. dum. l. ubi ita* 27, ff. *de mortis caus. donat. Menoch. lib. III, Præsumpt.* 104, n. 29. Tuschus concl. 95, et 96. Ratio est; quia proferens verba præsumitur ea accommodare materiæ, actui, vel contractui, de quo agitur, et personæ, ad quam diriguntur, c. *intelligentia* 8, h. t. l. *non aliter* 69, ff. *de legat. 3.*

4. *III. Sunt intelligenda, ut excludatur delictum.* — Regula III. Quando dubius sensus verborum in bonam et malam partem accipi potest, is accipiendus est, qui excludit delictum adeo ut potius interpretatio, et significatio verborum impropria admittatur, quam delictum, c. *Estote* 2, *de Rejectis Juris*, l. *Merito* 31, ff. *pro socio.* Ratio est; quia in dubio nemo deliquisse præsumitur, et factum cujusque in meliorem partem interpretandum est. Dicitur autem in dubio, quia ubi verba de delicto sunt clara, vel certe longe majorem turpitudinis, quam honestatis speciem præ se ferunt, et excusandi causa non apparet, hæc regula non procedit, sed subintrat generalis sequens.

5. *IV. Verba clara non admittunt interpretationem.* — Regula IV. Verba clara non ad-

mittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam: de qua regula vide lib. I, tit. 2, § 16, n. 384.

6. *V. Verba sunt, intelligenda, ut non derogetur quæsito juri tertii.* — Regula V. In dubio illa significatio præferenda est, quæ non derogat quæsito juri tertii c. *Denique cau. 14, q. 5, c. Super eo* 15, *Officio jud. delegat. 1. Nec avus* 4, C. *De emancipand. lib. adeo ut ad avertendum præjudicium juris quæsitum tertio verba etiam improprie accipiantur.* Tusch. concl. 128, n. 1, quæ Regula non tantum in privatorum actibus et dispositionibus, v. g. contractibus, testamentis, sed etiam in decretis ac beneficiis principum procedit, cit. l. *Nec avus* et l. *Prætor. ait* 2, § 10 et 16, ff. *ne quid in loco dub.* Sicut et in quibusvis privilegiis, et rescriptis pontificum, etiamsi cum clausula ex certa scientia, vel motu proprio sint emanata; cum omnia tacite contineant clausulam salvo jure tertii, vel sine præjudicio tertii, quatenus nemini præjudicent, sed jus cuilibet illæsum et integrum conservent, c. *licet* 12, *de Offic. jud. ord. c. Dudum* 31, *de Privil. quamvis* 8, *de Refert. cum concordantiis.* Ratio est; quia jus tertio jam quæsitum etiam publica auctoritate, non nisi necessitatis, vel utilitatis publicæ causa auferri potest; et etiam hac urgente supremus Princeps vel Papa auferre non censetur, nisi exprimat. Innoc. in c. *Innotuit* 20, *de Election. Pirhing, de Const. n. 20.*

7. *VI. Et ut evitetur absurdum.* — Regula VI. Verba interpretanda sunt, ut evitetur omne absurdum, adeo ut ad hoc evitandum etiam improprietas verborum admittatur. Barbosa *de Axiomat. juris* Axiom. 2, § *Ab-surdum.* Tuschus litt. A concl. 66, n. 17, arg. l. *Nam absurdum, ff. de Bonis libertorum.*

8. *VI. Atque contradictio, vel correctio.* — Regula VII. Verba sunt interpretanda, ut eorum correctio, et contradictio excludatur, c. *Inter delictos* 6, §. *Cæterum de Fide instrum. c. Cum expediat.* 29, *de Election.* in 6, cum concordantiis. Ratio est; quia nemo idem velle, et nolle, vel a sua dispositione illico recedere, et se incontinenti corrigere præsumitur.

9. *VIII. Verba sequentia accipiunt interpretationem a præcedentibus, et e contra.* — Regula VIII. Verba sequentia interpretationem accipiunt a præcedentibus ejusdem dispositionis, et vicissim, et l. *Si servus* 50, in fine ff. *de Legat. 3.*

10. *De aliis regulis. Remissive.* — Alias similes Regulas vide cit. lib. I, tit. 2, § 16 et 17, item Barb. *de Axiom. juris* necnon *de Appellationibus juris, et dictionibus usu frequentibus.* Item etiam Lexicon juris. (ADNOTATIO LIV.)

TITULUS XLI.

De regulis juris.

1. *Regula juris, quid?* — Uti Digesta juris civilis, ita etiam tam quinque libri, quam sextus Decretalium Titulo *de Regulis juris* clauduntur. Ubi per regulam ad propositum intelligitur sententia quædam generalis plurium legum, et canonum summam paucis complectens: seu quæ jus de variis rebus, eandem tamen rationem habentibus, per diversas leges et canones constitutum brevi compendio complectitur, et proponit: sic v. g. diversi canones et leges, quarum aliæ feminas ab officio judicis, aliæ a postulando, aliæ a fidejubendo, etc., repellunt, unica comprehenduntur regula: «Feminæ ab omnibus officiis civilibus et publicis remotæ sunt,» quæ est Regula 2. ff. *De Regulis juris.*

2. *Alia est authentica.* — Regulæ hæc aliæ sunt authenticæ, aliæ mere doctrinales, quæ communiter brocardicæ vocari solent. Authenticæ sunt, quæ auctoritate apostolica, vel imperiali, juri canonico, vel civili, et præsertim sub præsentis rubricæ de Regulis juris in quinto et sexto Decretalium ad finem, atque Pandectarum ponuntur.

3. *Alia brocardica.* — Brocardicæ sunt, quæ a jurisconsultis, vel aliis doctoribus ex variis juris textibus, ac dispositionibus, vel etiam philosophorum dictis depromptæ per modum axiomatum habentur, et applicantur quidem; jus tamen non faciunt, nec juris auctoritatem habent, cum in nullo jure clausulæ supponantur.

4. *De regulis juris in specie qui scribant.* — De authenticis regulis juris in specie integros scripsere tractatus varii doctores, inter quos est Augustinus Barb. in *Collect. ad*

lib. VI *Decret.* Henricus Caninus in *Summa Juris*, Dynus, Petrus Fechius, et alii, cujusmodi Tractatum etiam hic annectere quia non vacat, Lectorem ad allegatos Doctores remittimus, parati tamen ea, quæ de regulis juris tam quinti, quam sexti Decretalium in specie jam conscripsimus, in secunda editione hujus Operis nostri publicæ luci committere, si primam boni, æquique haberi, et in bibliopolæ cistis non otari conspexerimus.

5. *Quid sentiendum de regulis juris.* — Interea circa regulas juris illud monere conducens duximus, quod, et si multis rationibus utile sit regulas juris sæpius legere et memoriæ imprimere (cum plurimum serviant ad facienda et firmanda argumenta causæ, atque in dubio potiore faciant causam illius, pro quo stant et allegantur, donec adversarius jus in contrarium, et legitimam exceptionem afferant, prout advertit Glossa, fin. h. t.,) tamen multum decipiuntur illi, qui vel putant, se totum jus ex illis intelligere, vel illis tam pertinaciter adhærent, ut nullam contra illas exceptionem audire velint; cum tamen materiæ, quas hæ regulæ summarissime perstringunt, habeant maximam amplitudinem, et quævis regula suas exceptiones: ita ut etiam de his regulis juris authenticis verum sit illud brocardicum. «Nulla regula sine exceptione.» Et merito dixerit jurisconsultus in l. 1, ff. *De Reg. jur.* «non ex regulis jus, sed ex jure regulam esse desumptam:» per quod insinuare vult: juris fundamenta, et notitiam prius ex aliis titulis esse addiscenda; ac postea per compendiosas juris regulas in memoriam revocanda.

Hactenus ergo in quinque Libris tradita, et scripta sufficiant, cedantque ad majorem gloriam Dei, B. V. Mariæ, totiusque Ecclesiæ triumphantis, militantis vero, et omnium legentium utilitatem. Nos interea humillime prostrati in terram infinitas Deo gratias agimus, quod gratias et vires hoc opus absolventi misericordissime largitus sit, eique soli, de omni eo, quod in illo bonum est, omnem laudem et gloriam per omnia tribuimus, atque hinc una cum præcedentibus Libris judicio, et correctioni Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ humillime subjicimus. Amen. (ADNOTATIO LV.)